Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26044
Copyright: Admont, Benediktinerstift

rius. Alemanniam quoque quam Sueviam dicunt cum Lantfrido duce eorum, et Gasconiam
cum Eudone Aquitanorum duce subegit, et in Saxonia ac Fresia fortia bella
gessit. Sarracenorum, qui cum uxoribus ac filiis Aquitanorum fines fuerant ingressi,
CCC.LXXX.V. milia fudit, ex Francis tamen mille quingentis, Eudone Aquitanie
duce in epistola quam beato Gregorio pape sedis apostolice scripsit teste, amissis. Hic rursum XX. regni
sui anno Gasconiam ingressus, Eudonem occidit, ac sequenti anno contra filios
eius bellum instauravit. Sarracenos denuo Gallias intrare volentes iuxta Nar-
bonam delevit. Qui dum item provinciam captam relato vastant, a Liuprando Lon-
gobardorum rege, qui filium eius Pipinum tonsa cesarie adoptaverat in filium,
petito et accepto auxilio fugere de finibus eius coguntur. Igitur dum regnum Francorum
multis modis sub bellicosissimo principe Karolo augmentaretur, regnum Ro-
manorum, quod ad urbem regiam translatum fuerat, non solum ab hostibus amissis provin-
ciis minuebatur, sed et intestinis malis intra se collidebatur. Itaque circa prin-
cipia principatus Karoli coniuratione facta milites adversus Anastasium The-
odosium imperatorem creant invitum. Qui capto Anastasio se in Niceam contulit. Quem The-
odosius conserto prelio vicit ac clericum factum primodum ac presbiterum ordinari fecit.
Anno ab incarnatione Domini DCC.XVII. Theodosius LX.V. ab Augusto. XVI.
imperium sortitus uno tamen anno imperavit. Leo enim orientalium pretor civile bel-
lum parans filium eius Theodosium in Nicomedia comprehendit. Ob quam causam fractus
animo Theodosius consilio Germani patriarche ac senatus sponte purpura de-
posita clericus efficitur. His diebus Tyberis inundans multa edificia Rome sub-
ruit, duransque VII. diebus civibus letanias agentibus VIII. demum die cessavit.
Anno ab incarnatione Domini DCC.XVIII. Leo natione Syrus XVII.
LX.VI. ab Augusto imperavit, manente adhuc in Francia Karolo seniore. Hic y-
magines Domini ac sanctorum incendi et multos impietati sue resistentes de-
collari iussit. Inter ceteras passa fuit virgo quedam Theodosia, cuius usque hodie max-
ima in urbe regia veneratio manet. In ecclesia enim sanctimonialium integro cor-
pore humata servatur omnibusque advenientibus tamquam celestis medica inter
manus virginum deportata adhibetur, ac tamquam pro bono omine quoscumque con-
culcando gravem se prebuerit habetur. Quod et nuper dum Hierosolimitana expedi-
tio sub Chunrado Romanorum, Ludewico Francorum regibus ageretur, nos cum mul-
tis aliis experti fuimus. Leo autem Germanum patriarcham sede sua pellens Anasta-